

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 3, Liber 2: De prudentia et pertinentibus ad eam

De prudentia et sapientia: Rubrica prima

Job historia capitulo 12. In antiquis est sapientia: et in multo tempore prudentia. 28. capitulo.
Timor domini ipse est sapientia: et recedere a malo intelligentia.

Psalmista 31. psalmo. Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus. 121. psalmo.
Initium sapientie timor domini.

Salomon in proverbiis capitulo i. Audiens sapiens sapientior erit: et intelligens gubernacula possidebit. 2. capitulo. Inclina cor tuum ad cognoscendum prudentiam. Dominus dat sapientiam. Si intrauerit sapientia cor tuum et scientia: anime tue placuerit: consilium custodiet te: et prudentia seruabit te: vt eruaris de via mala: et ab homine qui peruersa loquitur. 3. capitulo. Beatus homo qui inuenit sapientiam: et cui affluit prudentia. Melior est acquisitio sapientie negotiatione argenti et auri primi et purissimi. Fructus eius preciosior est cunctis opibus: et omniaque desiderantur: huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera sapientie: et in sinistra illius diuitie et gloria. Uie sapientie vie pulchre: et omnes semite illius pacifice. Gloria sapientes possidebunt. 4. capitulo. Dilige sapientiam: et seruabit te. Glorificaberis a sapientia cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmentum gratiarum et corona inclita proteget te. 7. capitulo. Dic sapientie: soror mea es: et prudentiam voca amicam tuam. 8. capitulo. Melior est sapientia cunctis opibus preciosissimis: et omne desiderabile ei non potest comparari. Fingitur dicere sapientia: Per me reges regnant: et legum conditores iuste decernunt. Per me principes imperant: et potentes decernunt iustitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me: inuenient me. Mecum sunt diuitie et gloria: opes superne et iustitia etc. Beatus homo qui audit me: et qui vigilat ad fores meos quotidie: et obseruat ad postes ostii mei. Qui me inuenierit: inueniet vitam: et hauriet salutem a domino. Qui autem in me peccauerit: ledet animam suam. Omnes qui me oderunt: diligunt mortem. 9. capitulo. Da sapientie occasionem: et addetur ei sapientia. Principium sapientie timor domini. Per me multiplicabuntur dies tui: et addentur tibi anni vite. Si sapiens fueris: tibimetipsi eris. Si autem illusor: solus portabis malum. 12. capitulo. Lingua sapientum sanitas est. 14. capitulo. Labia sapientium custodiunt eos. Sapiens timet et declinat a malo. Stultus transit et confidit. Lingua sapientium ornat scientiam. Cor sapientis querit doctrinam. 16. capitulo. Posside sapientiam: quia auro melior est: et acquire prudentiam: quia preciosior est argento. Qui sapiens corde est appellabitur prudens: et qui dulcis eloquio maiora percipiet. Cor sapientis erudit os eius: et labiis illius addet gratiam. 17. capitulo. In facie prudentis lucet sapientia. 18. capitulo. Auris sapientium querit doctrinam. 22. capitulo. Inclina aurem tuam: et audi verba sapientium. Uir sapiens et fortis est: et vir doctus robustus et validus. Idem in ecclesiastice capitulo i. In multa sapientia: multa est indignatio. 7. capitulo. Utilior est sapientia cum diuitiis: et magis prodest. Sicut protegit sapientia: sic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio et sapientia: quod vitam tribuit possessori suo. Noli esse plus sapiens quam

Commented [CN1]: fol.64ra

necesse est. 8. capitulo. Sapientia hominis lucet in vultu eius. 9. capitulo. Melior est sapientia quam arma bellica. 10. capitulo. Cor sapientis in dextera eius: et cor stulti in sinistra illius. Uerba oris sapientis gratia.

Aristoteles magnorum moralium libro i. capitulo 71. Prudentia est contra operabilia in quibus electio et fuga. Circa operationem et operabilia est prudentia. Prudentia est habitus electiuus et operatiuus: eorum que in nobis sunt. 73. capitulo. Sapientia est ex intellectu et scientia composita: quare erit circa hoc: circa que et intellectus et scientia. 74. capitulo. Circa conferentia est prudentia: sapientia autem non: alterum ergo est sapientia et prudentia. 75. capitulo. Sapientia quidem est circa perpetuum et diuinum: prudentia autem circa conferens hominum. 77. capitulo. Prudentis et prudentie est optima appetere: et horum electiuum esse et operatiuum. 81. capitulo et penultimo. Prudentia sicut architector quidam virtutum est. Libro 2. capitulo 7. Neque absque prudentia alie virtutes fiunt: neque prudentia perfecta est absque aliis virtutibus: sed cooperantur quodammodo ad se inuicem consequentes prudentiam. Sapientia absconsa et thesaurus inuisus que vtilitas in vtrisque. 21. capitulo. Uerba prudentium statera ponderabuntur. 25. capitulo. Corona senum multa peritia. 32. capitulo. Importune noli extolli in sapientia tua. 37. capitulo. Est sapiens anime sue sapiens. Uir sapiens implebitur benedictionibus: et videntes illum laudabut. 39. capitulo. Sapientiam omnium antiquorum exquireret sapiens. 40. capitulo. Uinum et musica letificat cor: et super vtraque dilectio sapiente. Idem ethicorum libro 6. capitulo 3. Necesse est prudentiam esse habitum cum ratione verum circa humana operatiuum. 5. capitulo. Sapientia est intellectus et scientia honorabilissimorum natura. Prudentia est circa humana: et de quibus est consiliari: prudentis enim maxime hoc opus esse dicimus bene consiliari. Non est prudentia vniuersalium solum: sed oportet et singularia cognoscere actua enim: actio autem circa singularia. Iuuenes non videntur fieri prudentes. Causa autem quoniam et singularium est prudentia que fiunt cognita experientia: inuuenis autem expertus non est: multitudine enim temporis faciet experientiam. 8. capitulo et penultimo. Peruertit malitia et mentiri facit circa practica principia quia manifestum: quoniam impossibile est prudentem esse non entem bonum. Idem rethoricorum libro i. capitulo. 13. Prudentia est virtus intellectus secundum quam bene consiliari possunt de bonis et optimis dictis ad felicitatem. 20. capitulo. Sapientia est multorum et mirabilium scientia. Idem politicorum libro 7. capitulo. 6. Aptum natum est potentiam quidem in minoribus: prudentiam autem in senioribus esse. Idem methaphysicarum libro 2. capitulo i. Sapientia circa principia: scientia est. Idem priorum analetorum libro 2. capitulo 70. Sapientes boni sunt. Idem elementorum libro i. Quibusdam est magis opere precium videri esse sapientes quam esse et non videri. Sophistica est apparens sapientia: non autem existens. Idem de anima libro 2. Hoc est prudentissimum animalium. Idem probleumatum parte 30. Parui capituli prudentiores sunt eis qui sunt magni capituli.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo i. Omnis sapientia a domino deo est. Deus prebet sapientiam diligentibus se. Concupiscens sapientiam: conserua iustitiam: et deus prebebit illam tibi. 5. capitulo. Honor et gloria in sermone sensati. 6. capitulo. Inuestiga sapientiam: et manifestabitur tibi. 10. capitulo. Principatus sensati stabilis erit. Seruo sensato liberi seruent. 15. capitulo. A deo profeca est sapientia. 19. capitulo. Non est sapientia nequitie disciplina: et non est cogitatus peccatorum prudentia. 20. capitulo. Sapiens in verbis: seipsum amabilem facit. Sapiens in verbis: producet seipsum. Homo prudens: placebit magnatis.

Commented [CN2]: fol.64rb

Commented [CN3]: fol.64va

Philon vel philemon libri sapientie capitulo i. In maliuolam animam: non intrabit sapientia: nec habitabit in corpore subditu peccatis. 3. capitulo. Sapientiam et disciplinam qui abiicit: infelix est: et vacua est spes illorum: et labores sine fructu. 5. capitulo. Melior est sapientia quam vires: et vir prudens magis quam fortis. 6. capitulo. Sapientia facile videtur ab his qui diligunt eam: et iuuenitur ab his qui querunt illam. Concupiscentia sapientie deducet ad regnum perpetuum. Multitudo sapientum: sanitas est orbis terrarum. Rex sapiens: populi stabilimentum est. 7. capitulo. Sapientia est speciosior sole: et super omnem dispositionem stellarum luci comparata prior inuenitur. Sapientia vincit malitiam.

Tullius de officiis libro 2. capitulo 2. Sapientia est rerum diuinuarum: et humanarum causarumque quibus he res continentur scientia. Idem tusculanarum questionum libro i. Nihil est hominis prudentia dulcissima quam vt cetera auferat: affert certe senectus. Libro 3. Sapientia sanitas est animi. Libro 5. et finali. Sapientia semper eo contenta est quod adest. Idem rhetorica artis veteris libro 2. capitulo 9. Prudentia est rerum bonarum malarumque vtrumque scientia. Libro 2. capitulo 2. Prudentia est calliditas: que ratione quadam potest delectum habere bonorum et malorum. Idem de legibus libro i. Ratio cum adoleuit atque perfecta est nominatur rite sapientia. Idem de diuinatione libro 2. Sapientem esse portentum est: sepius enim in villam peperisse arbitror quam sapientem fuisse.

Commented [CN4]: fol.64vb

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 3. Que desursum est sapientia. Primum quidem pudica est: deinde pacifica: modesta: suadibilis: bonis consentiens: plena misericordia et fructibus bonis: iudicans sine similitudine.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 8. Prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita et pax. 12. capitulo. Non plus sapere quam oportet sapere.

Seneca in epistolis ad lucillum libro 3. epistola 3. Representat opes sapientia. Libro 15. epistola i. Sapientia perfectum bonum: est mentis humane. Libro 19. epistola 11. et finali. Sapientia est mens perfecta: et ad summum optimumque perducta.

Uegetius de re militari libro i. titulo 2. Prudentia et modestiam seruat in castris: et non parum prodest in dimicatione consiliis.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Prudens falli non potest: non fallere vult.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 23. Prudentia in veri inuestigatione versatur: et scientie plenioris infundit cupiditatem.

Cecilius firmianus de beata vita libro i. Primus sapientie gradus est falsa intelligere: secundus vera cognoscere. Libro 3. Uirtus cum scientia coniuncta sapientia est. Sapientia nisi in aliquo actu fuerit quo vim suam exerceat inanis et falsa est. Nunquam potest esse iustus qui stultus est: neque sapiens qui fuerit iniustus. Calliditas et astutia in multis animalibus sunt: vel cum insidiantur aliis: et dolo capiant et deuorant: vel cum insidias aliorum vario genere deludunt. Sapientia vero in hominem solum cadit. Libro 6. Nemo potest iure dici homo: nisi qui sapiens est.

Augustinus in epigramatibus prosperi 74. emp. In magna egestate sunt diuites: sapientie
thesauros non habentes.

Fulgentius mitologiarum libro 2. fabula 2. Sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possidet.

Commented [CNS]: [n.p. 1ra]

Cato capitulo 2. Sermo datur cunctis animi sapientia paucis. Capitulo 3. Insipiens esto: cum
tempus postulat aut res. Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Boetius in arismetrica capitulo 2. Sapientia est earum rerum que vere sunt cognitio et integra
comprehensio.

Cassiodorus epistolarum libro 6. epistola 10. Sapientia est que honores meretur. Sola prudentia
qua nemo sic assequitur vt eam non necessario et per alios querere videatur. Senes ipsi
sapientiam consiliis discunt. Libro 10. capitulo 4. Sapientiam ille querit in alto penes quem est
scientie magnitudo. Libro 12. et finali epistola 3. Ubi cumque probatur esse necessaria prudentia:
quoniam rebus omnibus videtur adhibere accommoda. Idem de anima capitulo 7. Circa confusa
et incertata prudentia vtiliter adhibetur.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. capitulo 42. Dilige sapientiam: et monstrabitur tibi.

Hugo de sancto victore in didascalon libro i. capitulo i. Omnim expetendorum prima est
sapientia in qua perfecti boni forma consistit. Summum in vita solamen est studium sapientie
quam que inuenit felix est: et qui possidet beatus. Libro 2. capitulo 13. Omnes pene virtutes
corporis mutantur in senibus et crescente sola sapientia decrescunt cetera. Idem in compendio
philosopie in prohemmo. Uniuersorum expetendorum sapientia est per quam acquiritur
perfectorum omnium bonorum forma. Summum solamen animorum exercitatio sapientie est.

Gaufridus de hironia curie papalis. Multa vident paucis pectora magna notis.

Proverbia metrica extraordinem librorum vagantia. Non de ponte cadit qui cum sapientia vadit.

De stultitia et insipientia: Rubrica 2

Job de historia capitulo 5. Uirum stultum interficit iracundia.

Psalmista 31. psalmo. Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.

Salomon in proverbiis capitulo i. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. 3. capitulo.
Stultorum exultatio ignominia est. 10. capitulo. Quasi per risum stultus operatur scelus. 12.
capitulo. Stultus transilit et confidit. 14. capitulo. In ore stulte virga superbie. 15. capitulo. Os
fatuorum ebilit stultitiam. Stultitia gaudium stulto. 17. capitulo. Omnes stulti miscentur
contumeliis. 18. capitulo. Non recipit stultus verba sapientie: nisi ea dixerit que versantur in
corde eius. Labia stulti immiscent se risis: et os eius iurgia prouocat. Os stulti attricio eius. 19.
capitulo. Pestilente flagello stultus sapientior erit. 22. capitulo. Si contuderis stultum in pila quasi
ptisanas ferientem desuper pillo: nen auferetur ab eo stultitia eius. Idem in ecclesiastice capitulo
i. Stultorum infinitus est numerus. 2. capitulo. Stultus in tenebris ambulat. 7. capitulo. Noli esse

Commented [CN6]: [n.p. 1rb]

stultus ne moriaris in tempore non tuo. 10. capitulo. Cor stulti in sinistra illius. Labia insipientis precipitabunt eum. Stultus verba multiplicat.

Isaias propheta capitulo 32. Stultus fatua loquitur: et cor eius faciet iniquitatem.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Lingua imprudentis subuersio est ipsius. 10. capitulo. Rex insipientis perdet populum suum. 20. capitulo. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus: lascivus autem et imprudens non seruabit tempus. Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt: exigua dabit et multa improperabit. Fatuo non erit amicus: et non erit gloria bonis illius. Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim dicet illam in tempore suo. 21. capitulo. Narratio fatui quasi sarcina in via. Fatuus in risu exaltat vocem suam. Pes fatui facilis est in domum proximi. Stultus a fenestra respicit in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per hostium. Labia imprudentium stulta narrabunt. In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientum os illorum. 22. capitulo. Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam: et in fine narrationis dicet: quis est hic? Luctus mortui septem dies: fatui autem et impii omnes dies vite illorum. Cum stulto ne multum loquaris. Cum insensato ne abieris: serua te ab illo: vt non molestiam habeas. Arenam et salem et massam ferri facilius est portare quam hominem imprudentem et fatum et impium. 27. capitulo. Stultus sicut luna immutatur.

Commented [CN7]: [n.p. 1va]

Terentius in adelphis capitulo 4. Homine imperito nunquam quicquam iniustius est: qui nisi quod ipse fecit nihil rectum putat.

Oratius in odis libro 2. capitulo 6. Misce stultitiam consilii breuem. Dulce est despere loco. Idem in sermonibus libro i. sermone 2. Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

Tullius tusculanarum questionum libro 3. Proprium stultitia est aliorum vitia cernere obliuisci suorum. Insipientia quasi insanitas quedam animi est. Insipientia nullum maius malum est. Libro 5. et finali. Stultitia et si adepta est quod concupiuit: nunquam tamen se satis consecutam putat. Idem rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 6. Omnium malorum stultitia mater est atque materies.

Seneca de tranquillitate animi: Aliquando insanire iocundum est. Nullum magnum ingenium sine mixtura dementie fuit. Idem in proverbiis. Fortunam quem nimis fouet stultum facit.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Nunquam potest esse iustus qui stultus est. Stultitia est in factis dictisque per ignorantiam recti ac boni erratio.

Cato capitulo 3. Insipientis esto cum tempus postulat aut res. / Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Boetius de consolatione libro capitulo 8. Sibi semper mentiens est imprudentia.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 7. Non est sapientia profutura contemnere. Libro 3. epistola 52. Expedit interdum despere.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 7. Nemo placet stulto nisi dicat quod libet illi. / Et malus efficit qui sociatur ei.

Auctor rudium doctrine libro 2. Stulta sequi fatuus consuevit: recta peritus.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 2. Ignarus medicus: mortificare solet. / Naturam morbi qui non agnoscit eundem. / Quomodo curabit: est sua cura mala. / Ignari medici demit medicina salutem. / Dum prodesse putat: semper obesse solet.

Prouerbia vulgaria. Endarno e matto chi nol sente / Aseno cargo ben ambla. / Chi loa el matto filfa saire. / Chi vsa el matto ale persege: el geua cum le pertege. / El matto non fa pato: se no con so damno fato. / Ognو matto enso core e sauio. / Uilano per vendema fauelare el no degna. / Un matto si enfa quattro.

Commented [CN8]: [n.p. 1vb]

De prudentia et premeditatione atque deliberatione: Rubrica 3

Aristoteles elementorum libro 2. Prouidere quidem difficile est per vacationem autem facile.

Terentius in adelphis capitulo 11. Istuc est sapere: non quod ante pedes modo est videre: sed etiam illa que futura sunt prospicere.

Tullius de officiis libro i. capitulo 34. In omnibus negotiis priusquam aggrediare adhibenda est preparatio diligens. Idem tusculanarum questionum libro 3. Premeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. Prouidentia est per quam futurum aliquid videtur antequam fiat. Idem rethoricorum artis noue libro 4. capitulo 7. Solent diu cogitare omnes qui magna negotia volunt agere. Idem philippicorum libro 10. Sapientis quicquid homini accidere possit id ipsum premeditari ferendum modice si euenerit esse.

Ouidius de tristibus libro 6. et finali epistola i. Tum ne noceas dum vis prodesse videto.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 4. epistola 3. Quicquid fieri potest quasi futurum cogitemus. Libro 10. epistola 3. Premeditari mali leuis ictus venit: ac stultus et fortune credentibus omnis videtur noua rerum et inopis nata facies. Libro 15. epistola 8. Nihil nobis improuisum esse debet in omnia permittendus annis cogitandum non quicquid solet: sed quicquid potest fieri. Cogitanda sunt omnia: et animus aduersus ea que possunt euenire firmandus. Libro 17. epistola 3. Quodcumque lesurum est multo antequam accidat speculare et aduertere. Libro 19. epistola i. Id agendum est ne quid nobis inopinatum sit. **Et quia omnia nouitate grauiora sunt** hoc cogitatio assidua prestabit vt nulli sit malo tyro. Idem in prouerbiis. Deliberare vtilia mora est tutissima. Mora omnis odio est: sed sapientem facit. Male geritur quicquid geritur fide fortune.

Commented [CN9]: [n.p. 2ra]

Lex digestorum titulo de minoribus. I. verum. Quod facto contingit cuius patrifamilias quamvis diligentissimo potest contingere. Titulo commodati: I. ad eos. Qua cura vel diligentia consequi possumus: ne ab aliquo damnum nobis iniuria detur. Titulo de actionibus empti et venditi I. si ea res. Custodia aduersum vim parum proficit. Titulo de administratione rerum ad ciuitatem pertinentium I. 2. § si eo tempore. Fortuitos casus nullum hominum consilium prouidere potest.

Ualerius maximus libro 8. titulo de studio et industria. Roscius nullum vnquam spectanti populo gestum nisi quem domi meditatus fuerat ponere ausus est. Quapropter non ludrica ars roscium

sed roscius ludricam artem commendauit: nec nulli tantum fauorem verum et principum familiaritates amplexus est.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Tunc per rationem recte viues si omnia prius estimes et perpenses. Prudentis proprium est consilia examinare: et non cito facili credulitate ad falsa prolabi. Si prudens esse cupis in futura prospectum intende: et que possunt contingere animo cuncta propone. Nihil tibi subitum sit sed totum ante prospicias: nam qui prudens est non dicit non putauit hec fieri: quia non dubitat sed expectat: nec suspicatur: sed cauet. Presentia ordina: futura preuide: preterita recordare. Nam qui nihil de preterito cogitat: perdit vitam. qui nihil de futuro premeditatur in omnia cautus incedit. Prepone in animo tuo et mala futura et bona: vt illa sustinere possis: et ista moderari.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 37. Nisi explorentur aduersa cito occupant. Libro 2. capitulo 30. et finali. Ante factum cogitate: et cum diu cogistaueritis tunc facite quod probatis.

Cato capitulo 3. Prospice qui veniunt hos casus esse ferendos. / Nam leuius ledit quicquid prouidimus ante.

Boetius *de consolatione libro i. capitulo 8. Existimatio plurimorum non rerum merita sed fortune: spectat euentum: ea que tantum iudicat esse prouisa que felicitas commendauerint.*

Commented [CN10]: [n.p. 2rb]

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 49. Ideo prouidentia dicitur vt que sunt futura tractentur. Libro 8. epistola 13. Omnia deliberata sunt robusta. Libro 9. epistola 23. Quis de illa re existimet deliberandum vbi nihil reperitur ambiguum.

Gregorius in pastorali capitulo 47. Dum contra ictum quisque paratior redditur: hostis qui se inopinatum credit eo ipso quo preuisus est eneruatur.

Isidorus in sinonima sololiqiorum libro 2. capitulo 20. Aduenientes impetus premeditatio frangit. / Expectata mala tolerabiliter feruntur. / Precogitatio molestias futuras attenuat. / Preuisio malorum lenit aduentum / Inopinatum: malum fortiter frangit. Improuisa mala grauiter feriunt. / Repentinum malum: cito frangit. / Quod prouisum non est vehementer affligit. / Improuisus hostis fortiter opprimit. Capitulo 41. Ancipitem diu delibera sententiam. / Age nihil ex precipitio magnum.

Uersificator fabularum esopi 20. fabula. Nam preuisa minus ledere tela solent. Fabula 50. Preteriti ratio scire futura facit.

Auctor rudium doctrine libro 2. Omnibus in rebus res est discretio summa. / Et modo in rebus res facit esse bonas. / Nam quecumque facis si non discerneris ante. / Ad reprobum finem sepe venire solent.

Heinricus samariensis libro i. parte i. Sapiens deliberat antequam faciat.

Gaufridus anglicus in poetria capitulo 2. Siquis habet fundare domum: non currat ad actum. / Impetuosa manus: intrinseca linea cordis / Premeditatur opus: seriemque sub ordine certo. / Interior presribit homo: totaque figurat. / Ante manus cordis quam corporis: et status eius / Est prius arhetitus o quam sensibilis. / Non manus ad calatum preceps: non lingua sit ardens / Ad

verbum: neutrum manibus comite regendus / Fortune: sed mens discreta preambula facti / Ut melius: fortunet opus suspendat earum. / Officium tractetque diu detemate secum. / Circinus interior mentis precircinet omne. / Materie spacum: certus preclimitet ordo. / Unde parripiat cursum stilus aut vbi gaudes / Fiat opus tuum prudens in pectoris arcem / Contrahe: sitque prius in pectore quam sit in ore. Capitulo 31. Gressus precurrunt oculi: preconsule mentem. Capitulo 200. Nihil facias quod postmodum nolles. / Non fieri sed mens sit cauta preambula facti.

Commented [CN11]: [n.p. 2va]

Andreas capellanus pape innocentii quarti libro de dissuasione vx. Diligentis animi est morbo prius occurrere quam post morbum queritare.

Iacobus beneuentanus capitulo 46. Nemo potest facta cauere sua. / Uix valet imperio fortune quippe resisti. / Que sunt supposita que vagus orbis habet.

De consilio: Rubrica 4

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Ubi non est gubernator populus corruet: saluus autem vbi multa consilia. 12. capitulo. Consilia impiorum fraudulenta. Uia stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est audit consilia. 13. capitulo. Qui cum consilio cuncta agunt reguntur sapientia. Astutus omnia agit cum consilio. 20. capitulo. Cogitationes consiliis roborantur. 24. capitulo. Salus vbi multa consilia. 25. capitulo. Causam tuam tracta cum amico tuo.

Tobias capitulo 4. Consilium a sapiente semper perquire.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Consilians fac exemplum preterita futurorum: nam ignoti ex noto conjectura certissima nascitur. Consiliare quidem diutius: effice vero visa velociter. Cum protius te expedit consulare quemquam: cerne prius quomodo disposuerit sua: nam qui perperam patiatur in propriis nunquam bene consiliabitur in alienis. Sic ad potius consiliandum incitaberis: si calamitates prouenientes ex consilii carentia prospexeris: nam et sanitatis mage seduli simus: cum miserias languoris anima vertimus.

Commented [CN12]: [n.p. 2vb]

Aristoteles ethicorum libro 3. capitulo 4. Consilium omne questio est. Libro 6. epistola 3. Non est consiliari de his que de necessitate sunt. 5. capitulo. Prudentis maxime hoc opus esse dicimus: bene consiliari. Consiliatur nullus de impossibilibus aliter se habere: neque de quibuscumque non finis aliquis est. Simpliciter bonus consiliator est optimi hominis operabilium conjectatiuus secundum ratiocinationem. Consiliari querere quoddam est. 6. capitulo. Consilians querit et rationcinatur. Operari quidem oportet velociter consiliata: consiliari autem tarde. Idem rethoricorum libro i. capitulo 2 Consiliamus de his que videntur contingere vtroque modo se habere. 17. capitulo. Ex prius factis futura diudicantes iudicamus. Libro 2. capitulo 7. Timor consiliatiuos facit. Idem polliticorum libro 6. capitulo 11. Consiliantur melius communiter consiliantes omnes.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 6. Multi pacifici sint: et tibi consiliarius vnum de mille. Capitulo 8. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. 32. capitulo. Sine consilio nihil facias: et postfactum non penitebis. 37. capitulo. Ante omnem actum stabile consilium precedat te.

Terentius in eunicho capitulo 2. Dum est tempus etiam atque cogita etiam. 18. capitulo. Omnia prius consilio experiri quam armis sapientem decet. In heautontumerumon capitulo 20. Nonne id flagitium est te alis consilium dare: foris sapere: tibi non posse te auxiliare.

Salustius in catilinario. Prius quam incipias consulto: et vbi consulueris mature: opus facto est. Omnes homines qui de rebus consultant dubiis ab odio amicitia: ira atque misericordia vacuos esse decet: haud facile animus verum prouidet vbi illa officiunt.

Tullius rhetoricon artis veteris libro i. capitulo 12. Consilium est aliquid faciendi vel non faciendi recte excogitata ratio. Idem philippicorum libro 6. Etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus auctoribus amoueri solent. Libro 11. Optimus est portus penitenti: mutatio consilii. Idem in oratione pro marco marcello. Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur: nec ad consilium casus admittitur. Iracundia est inimica consilio.

Commented [CN13]: [n.p. 3ra]

Ouidius de arte amandi libro i. Nocte latent mende vitioque ignoscitur omni. / Horaque formosam quamlibet illa facit. / Consule de gemmis detincta murice lana. / Consule de facie corporibusque diem. Idem sine titulo seu amorum libro i. capitulo 3. Consilium nobis resque locusque dabunt. Idem de tristibus libro. 6. et finali epistola i. Consilium resque locusque dabunt.

Mattheus in euangelio capitulo 15. Cecus si ceco ducatum prestet ambo in foueam cadunt.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 5. Consilium rerum omnium sapiens spectat nisi exitium. Libro 17. epistola 3. Quicquid consilio propiscere potes prospice.

Lex codicis titulo de repudio libro iii. Dubium non est omnia que consilio recte geruntur iure meritaque effectu et firmitate viri.

Marcialis cocus libro vndique suscepto: Pannorum veterum facile contenuuntur vsus. / Non sic consilium posthume superne senum. / Consilio iuuenum fidis melibee ruinam. / Expectare potes: dum sine consilio es.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 26. et finali. Nulla consilia sunt meliora quam illa que ignorauerit aduersarios antequam facias. Cum consilium tuum cognouerit aduersarius proditum dispositionem mutare te conuenit. Quod fieri debeat tractato cum multis: quod vero facturus sis cum paucissimis vel potius ipse tecum.

Ualerius maximus libro 7. titulo vafremento dicta aut facta. Hanibal a iulio proconsule nauali prelio victus timensque classis amisce penas dari: offensam astutia auertit: nam ex illa infelici pugna priusquam clavis nuncius domum perueniret: quendam ex amicis compositum et formatum cartaginem misit. Qui postquam ciuitatis eius curiam intrauit: consulti vos inquit hanibal cum dux romanorum magnas secum maritimas trahens copias aduenerit an cum eo configgere debeat. Acclamauit vniuersus se hatus: non esse dubium quin oporteret. Tunc illic conflixit inquit id factum damnare quod ipsi fieri debere iudicauerunt. Libro 8. titulo sue quemque artis etc. Quintus sceuola legum clarissimus et certissimus vates quotienscumque de iure pretorio consulebatur ad furium et caselium: quia huic scientie dediti erant consultores reiiciebant. Quo quidem facto moderationem suam magis commendabat quam auctoritatem

Commented [CN14]: [n.p. 3rb]

minuebat. Plato conductores sacre are modum et formam eius secum sermonem conferre cognatos: ad euclidem geometrem ire iussit scientie eius tendens vno professioni.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Prudentis proprium est consilia examinare: et non cito facili credulitate ad falsa prolabi.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 31. Unusquisque beniuolentis se magis quam sapientis credit consilio. Libro 2. capitulo 8. Promptius nos iusto viro quam prudenti committimus.

Macrobius saturnaliorum libro i. capitulo 15. Conceptum mentis consilia nascuntur.

Cato capitulo i. Antequam voceris ne accesseris ad consilium. Tu te consule. Capitulo 4. Utile consilium dominus ne despice serui. / Nullius si prodest sensum contempseris vñquam.

Cassiodorus epistolarum libro 6. epistola 19. Omnis prudens consilium querit. Libro 10. epistola 4. Consilium mutare detractat improuidus. Sapientiam ille querit in alto penes quem est scientie magnitudo.

Gregorius in pastorali capitulo 57. Tardius peccatum soluitur quod per consilium solidatur.

Uersificator fabularum esopi fabula 14. Prudentia summa est. Credere prudenti. Fabula 20. Utile consilium qui spernit inutile sumit.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus. Conuenit ad nostros modus et prudentia casus. / Quodque sequi deceat querere consilium.

Gaufridus in poetria capitulo 23. Si vis beneduci: Te certo comite duci. Idem in hironia curie papalis. Consilium prudens sepe minoris habet.

Bertrandus iconomica capitulo 13. Si consulis amico non queras placere ei: sed rationi. Dicas in consulendo amice sic mihi videtur. Non precise sic agendum.

Commented [CN15]: [n.p. 3va]

Iacobus beneuentanus capitulo 41. Fidum consilium fidus amicus habet.

De preeligibilibus: Rubrica 5

Psalmista 157. psalmo. Beatus qui tenebit.

Paralipomenon liber capitulo 21. Cum venisset gad: angelus ad dauid etc. vt supra libro i. titulo de misericordia et clementia dei.

Aristoteles ethicorum libro capitulo 3. Bonorum maius eligibilius semper. Libro 3. capitulo 4. Electio cum ratione et intellectum est. Libro 6. capitulo i. Neque sine intellectu et mente: neque sine morali habitu est electio. Libro 7. capitulo 5. Natura eligibilius vnumquodque est propter seipsum. Libro 10. et finali capitulo 2. Omne bonum cum altero bono: eligibilius quam solitarium. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 3. Circa operabilia est quod circa electionem et fugam: est autem non absque prudentia: prudentia quidem enim operatiua horum est. Idem rethoricorum libro i. capitulo 25. et finali. Non id quod simpliciter factum est eligit

villus: sed ind quod sibi. Libro 2. capitulo 16. Iuuenes eligunt agere honesta quam conferentia. 20. capitulo. Esopus in samo populum alloquens cum iudicaretur rector populi ad mortem ait: vulpem transeuntem fluum propulsam fuisse in lacunam: et cum non posset exire: multo tempore affligebatur: et musce canine multe adhrebant ei. Erricius autem errans vt vedit ipsa misertus eius interrogauit si auferebat ab ipsa muscas caninas: eum autem non permisit. Querente autem propter quid: dixit: quia iste quidem iam de me plene sunt et modicum trahunt sanguinis. Si autem has abstuleris alie venientes famelice potabunt mei reliquum sanguinem. Ita et vos viri samii: iste quidem non amplius nocebit diues enim est: si eum occideritis. Alii venient pauperes qui vos absorbebunt reliqua furantes. Idem topicorum libro 3. Quod propter se eligendum est eo quod propter aliud magis eligendum.

Quod per se est causa mali: magis fugiendum est eo quod per accidens. Meliora non sunt necessario et magis eligenda. Ergo philosophari melius est quam divitari: sed non magis eligendum indigenti necessariis. Magis eligenda est superabundantia amicitie quam pecuniarum. Quod ad omnia vel ad plura est vtile: magis erit eligendum eo quod non sic. Magis est fugiendum quod magis impedit virtutes.

Commented [CN16]: [n.p. 3vb]

Terentius in eunucho capitulo 17. Malo ego nos prospicere quam vlcisci accepta iniuria.

Tullius topicorum capitulo 22. Plura bona paucioribus bonis anteponantur: pautiora mala pluribus malis. Diuturniora bona breuioribus bonis anteponantur: longe et late perugata angustis. Anteponantur ea que per se expetenda sunt his que propter aliud. Anteponantur sua alienis.

Lex institutionum titulo de obligationibus que ex delicto nascitur § furti: Expedit potius pignori incumbere quam in personam agere. Titulo de interdictis § restituende. Longe commodius est possidere quam petere.

Lex autentici titulo de restitutionibus vt ea que parit etc. §. sancimus. Ea que communiter omnibus prosunt preponenda sunt his que specialiter vtilia sunt.

Ualerius maximus libro 6. titulo libere dicta aut facta. Siracusis mulier quedam vltime senectutis omnibus dionysii tyrranni exitium propter nimiam morum acerbitatem et intolerabilia onera votis expertentibus: sola quotidianie matutino tempore deos vt incolumis ac sibi superstes esset orabat. Quod vbi is cognouit: non debitam sibi admiratus beniuolentiam accessit eam: et quid ita hoc ait: quo merito suo faceret interrogauit. Tum illa: certa est inquit ratio propositi mei: Puellam enim cum grauem tyrannum haberemus carere eo cupiebam: quo imperfecto aliquanto deterior arcem occupauit. eius quoque finiri dominationem magni existimabam: tertium te superioribus importuniorem habere cupimus rectorem. Itaque ne si tu fueris assumptus deterior in locum tuum succedat caput meum pro tua salute deuoueo. Tam facetam audaciam: punire dionysius erubuit.

Uersificator fabularum esopi. 23 fabula. Ferre minora volo ne grauiora feram.

Commented [CN17]: [n.p. 4ra]

Bernardus de improbatione vitiorum capitulo i. Non est pro lolio reiicienda seges.

Prouerbia vulgaria: Baro chi tene: baruculo chi chaze. / Loda al monte e tiente al piano. / Meio e cum altru partire: cha sol perdere. / Dirie parti se voltore elmen rio.

De ordine et ordinatione: Rubrica 6

Aristoteles phisicorum libro 8. capitulo 3. Nihil est inordinatum eorum qua natura: et secundum naturam sunt. Natura omnibus causa ordinationis est. Ordinatio omnis ratio est. Idem de memoria et reminiscencia: Sunt magis reminiscibilia quecumque ordinationem habent. Idem economicorum libro i. in fine. Oportet vnumquodque in loco suo ponit: sicut enim paratum existens non queretur. Idem polliticorum libro 7. capitulo 3. Lex quedam ordo est: valde excedens numerus non potest participare ordinem.

Paulus apostolus in epistola ad romanos capitulo 13. Que a deo sunt ordinata sunt. Idem epistola i. ad corinthios capitulo 14. Omnia honeste et secundum ordinem fiant in nobis.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Quam male confundit ratio prepostera mores.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 11. Quod precipiti via certum deserit ordinem letos non habet exitus vti.

Cassiodorus epistolarum libro 8. epistola 13. Securus celsa conscendit qui se in paulo minoribus approbavit: et certo procedit vestigio qui gradatim desiderio potitur accepto.

De principii qualitate: et principio considerandis: Rubrica 7

Aristoteles ethicorum capitulo 8. Magnum influxum habent principia et auxilium ad sequentia: videtur ergo plus quam dimidium totius esse principium et multa manifesta fieri eorum que queruntur per ipsum. Idem polliticorum libro i. capitulo i. Si quis ex principio res nascentes fieri viderit optime contemplabitur. Libro 5. capitulo i. Impossibile est a principio et eo quod in principio est vitiatum non occurrere in fine malum. Principium dicitur esse dimidium totius. Quare et quod in ipso paruum peccatum est proportionale est ad ea que in aliis partibus sunt. Libro 7. capitulo 12. et finali. Omnia quecumque possibile assuescere mox inchoantibus melius assuescere. Idem phisicorum libro i. capitulo 2. Uno inconvenienti dato alia sequuntur. Idem de celo et mundo libro i. capitulo 5. Principium virtute maius est quam magnitudine. Quapropter quod in principio est modicum in fine fit multum magnum. Idem de generatione animalis libro i. capitulo 2. Modico principio permuto multa simul permutari consueverunt eorum que sunt circa principium. Idem de motu animalis. Modica permutatione facta in principio multas et magnas facit differentias deinceps. Idem elementorum libro 2. in fine. Inuento facile est addere.

Commented [CN18]: [n.p. 4rb]

Terentius in eunicho capitulo 20. Malo principio magna familiaritas conflata est.

Oratius in epistolis libro i. epistola 2. Dimidium facti qui cepit habet. Epistola 19. Nam tua res agitur paries cum proximus ardet. / Et neglecta solent incendia sumere vires.

Tullius de fine bonorum et malorum libro 5. et finali. Omnia rerum principia parua sunt: sed suis progressibus vsa augentur. Idem philippicorum libro 5. Omne malum nascens facile opprimitur inueteratum fit plerumque robustius. Idem de oratore libro 2. Omnia que fiunt

quecumque aguntur acerrime leuioribus principiis natura ipsa pretextuit. Idem in thimeum platonis siue de essentia mundi: Difficillimum est in omni conquisitione rationis exordium.

Ouidius epistolarum 16. epistola. Flamma recens sparsa parua recedit aqua. Idem sine titulo seu amorum libro i. epistola 8. Parcius exigito precium dum rhetia tendis. / Ne fugiant captos ignibus vre tuis. Idem de remedio amoris libro i. Principiis obsta: sero medicina paratur. **Cum** mala prolongas conualuere moras. Idem de tristibus libro 5. epistola 8. Turpius eiicitur quam non admittitur hospes. Idem de arte amandi libro 3. et finali. Dissimulante tamen: nec prima fronte rapaces. / Est nouus visa casse resistit. / Opprime dum noua sunt subtilima semina morbi.

Commented [CN19]: [n.p. 4va]

Quintilianus declamationum 17. et finali declamatione. Male desinunt qui incipere non debent.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 11. epistola 3. et finali. Facilius est initia affectuum prohibere quam impetum regere. Facilius est excludere quam admissa comprimere. Libro 18. epistola i. Facilius crescit dignitas quam incipit: pecunia quoque circa paupertatem plurimum amorem habet: dum ex illa eruptat. Libro 19. epistola 10. Imbecillis est primo omnis affectus deinde ipse se concitat: et vires dum procedit parat: excluditur facilius quam expellitur. Idem de clementia: Que ex solido nascuntur in maius meliusque procedunt. Idem de consolatione ad marciam: Omnia vitia penitus insistunt nisi dum surgunt oppressa sint.

Statius tebandos libro 10. Leta malorum. Principia.

Lex digestorum titulo de origine iuris libro. i. Cuiuscumque rei potentissima pars principium est. Lex codicis titulo in quibus causis in integrum restitutio non est necessaria l. finali. Melius est intacta iura seruare quam post causam vulneratam remedium querere. Titulo quando licet sine iudice vindicare. l. i. Melius est in tempus occurrere quam post exitum vindicare.

Ualerius maximus libro 9. titulo i. Nullum vitium ibi finitur vbi incipit.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 39. Fatos ipsos apprehendere virgultis teneris inchoamus: ceterum si robora primis scintillis adhibeas igniculum opprimis quem fouere contendis. Sic animi hominum nisi prius leuiter fuerint imbuti ad hoc quod intendunt idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pauida sunt: et alitur timiditas non tollitur nisi cum rebus necessariis nouitas arrogatur. Libro 2. **epistola** 3. A paruis inchoant que in sequentibus magna se admiratione sublimant. Libro 4. epistola 14. In ipsis iniciis comprimendus excessus est: ne feda imitatio turpis scabies paulatim aliquos comprehendat. Libro 6. epistola 21. Melius est in ipsis cunabulis adhuc mollia reprimere quam indurata crimina vindicare.

Commented [CN20]: [n.p. 4vb]

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 3. Incipe spe: melius dedit et dabit omnia tempus. / Incepturnque viis mille patebit opus. Capitulo 20. Res tamen interdum grandia parua mouet. / Ex minima magnis scintilla nascitur ignis. / Et generat paruum grandia principium.

Gualterius de castellione libro 7. Parua solet magnis causam prestare ruinis. / Cum neglecta fuit modica scintilla lucere.

Gaufridus in poetria capitulo 50. Surgit permulta seges de semine pauco. / Flumina magna trahunt ortum de fonte pusillo. / De tenui virga grandis protenditur arbor.

Montenarius in luna cleri capitulo 46. Uix possunt male cepta bonum contingere finem.
Prouerbia vulgaria. En via se conza soma. / Lopera comenza: e meza fata. / Pizola brunza fa gran focho.

De finis consideratione: Rubrica 8

Isocrates in exhortationibus capitulo 3. et finali. In omnibus operibus non ita principium vt finem perpendimus.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo i. Multis operationibus entibus et artibus et doctrinis multi fiunt et fines. 3. capitulo. In omni operatione et electione finis bonum huius enim gratia reliqua operantur omnes. Idem polliticorum libro 3. capitulo 7. In omnibus scientiis et artibus bonum maximum est finis.

Ouidius epistolarum 2. epistola. Exitus acta probat: careat successibus opto / Quisquis aduentu facta notanda putat. Idem methamorphosis libro 3. Ultima semper / Expectanda dies homini: dicique beatus. / Ante obitum nemo supremaque funeraque debet.

Commented [CN21]: [n.p. 5ra]

Ualerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut facta. Solon neminem dum adhuc viueret beatum dici debere arbitrabatur quod ad vltimum vsque fati diem ancipiti fortune subiecti essemus.

Marcialis cucus libro vndique suscepto capitulo 2. Incipit alcunades: virtuti sepe studere. / Sed sine fine parum proderit incipere. / Sepe dolcr letō prodiit introitu.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Cum initiaueris: exitus cogitabis.

Prosper sub 30. epigramata. Palma qua capit: gloria finis habet.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo i. Quod ante oculos situm est: non suffecerit intueri. / Rerum exitus prudentia metitur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 42. Summa miseria est nescire quo tendas. Capitulo 20. In omni re finis intenditur.

Uersificator fabularum esopi 23. fabula. Siquid agis prudenter agas et respice finem.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 18. Principium finemque simul prudentia spectat. / Rerum finis habet crimen et omne decus. / Ubi principium: finem quoque conspice verbi. / Ut melius possis: premeditata loqui.

Auctor rudium doctrine libro i. Non datur extemplo luna post primordia merces: / Congrua sed rectus premia finis habet.

Mattheus vindocinensis in poetria parte 2. et finali capitulo 4. Quod complere nequis principiare caue.

Gaufridus in poetria capitulo 30. A casu describe diem: non solis ab ortu.

Iacobus beneuentanus capitulo 40. Premeditare prius animo quam res operari / Incipias: fiat finis vt aptus eis. / Principium sapiens et finem premeditatur. / Finis habet rerum dedecus atque decus.

Auctor libelli qui incipit astrolabi: Occasum sapiens stultus considerat ortum. / Finis quippe rei cantica laudis habet.

Proverbia vulgaria. Non laldare el di: sel non vien la sera.

De perfectione operis: Rubrica 9

Aristoteles metaphysicorum libro 2. capitulo 2. Nullus conabitur aliquid facere ad terminum non futurus venire.

Commented [CN22]: [n.p. 5rb]

Ouidius de remedio amoris libro 2. et finali. Uulnus in antiquum redit male sana cicatrix.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 21. Utuperationem generant que in mediis conatibus egra deserunt. 30. epistola. Perfectum opus suum laudet auctorem. Libro 5. epistola 17. Alacriter incumbendum est inchoatis cum iam uicinitas perfectionis amiserit. Spes effectus tedium laboris excludit. Magnum genus incitamenti est credere desiderata compleri.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 35. Et sua non semper sequitur primordii affinis. / Inceptum casus sepe retardat opus.

Auctor rudium doctrine libro i. Principium leuiter in magnis rebus habere / Quisque potest: sed non sic sibi finis erit. / Conuenit ergo probis: vt sic primordia sumant. / Ne cito quod capiant deseruisse velint.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Res imperfecte modica turbatione deficiunt.

Mattheus vindocinensis in poetria parte i. capitulo 6. Inuidet comes imperfectio rebus. / Omnis prosperitas integratatis eget.

Proverbia vulgaria. La tera catiu: ben cerniu: est mal spiga.

De cause et effectus consideratione et occasione: Rubrica 10

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 3. In omni operatione et electione finis bonum: huius enim gratia relique operantur omnes. Libro 3. capitulo 6. Qualiscumque vnuusquisque est talis et finis videtur ei. Libro 4. capitulo 8. Unusquisque qualis est talia dicit et operatur: et sic viuit. Idem topicorum libro 3. Quod propter se eligendum est eo quod propter aliud magis eligendum. Quod per se est causa mali magis fugiendum est eo quod per accidentem.

Tullius philippicorum libro 8. Is profecto mortem attulit qui causa mortis fuit.

Mattheus in euangelio capitulo 7. Omnis arbor bona fructus bonos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere. Mala autem arbor fructus malos facit. Neque arbor mala fructus bonos facere. 12. capitulo. Ex fructu arbor agnoscitur.

Commented [CN23]: [n.p. 5va]

Lex digestorum titulo ad legem acquiliam l. qui occidit. §. pe. Qui occasionem damni prestat: damnum fecisse videtur.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Cuiuscumque facti causam requiras.

Cassiodorus epistolarum libro 7. epistola 6. Nulla lesio remouetur cuius origo non tollitur. Libro 9. epistola 23. Rerum cause semper in semine sunt. Fructus editus perdit auctores.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 9. Sepe occasio peccandi voluntatem facit.

Uersificator fabularum esopi 24. fabula. Cum tibi quid detur: cur detur respice.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 13. Cum pusilla nocet: sapiens nocentia vitat. Capitulo 19. Arbore de dulci dulcia poma cadunt. Capitulo 60. Fructibus ipsa suis: que sit cognoscitur arbor.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 31. Non tibi quod dabitur: sed cur intellige quia / Sola voluntatis forma moneat opus.

Iacobus beneuentanus capitulo 15. Omnis a specie fructus cognoscitur arbor.

De pocioritate qualitatis et quantitatis: Rubrica 11

In exodo capitulo 23. Non separaris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sentiente vt a vero deuies.

Aristoteles topicorum libro 2. Nominationibus quidem res nuncupanda est vt plures: que autem res sunt huiusmodi vel non huiusmodi: non iam attendendum pluribus.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 4. epistola 4. et finali. Estimes iudicia non numeres. Idem in proverbiis: Frons nostra populo conueniat.

Lex codicis titulo de vetere iure enucleando libro 2. §. sed et si quis: Multo melius est pauca indonee effundere quam multis inutilibus homines pregrauari.

Lex autentici de tabellionibus § sed nec questus. Melius est pauca agere caute quam multis vite esse periculose.

Commented [CN24]: [n.p. 5vb]

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non quem multis: sed quibus placeas cogita.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 12. In qualitate non in quantitate est peccatum.

Gregorius in pastorali capitulo 58. Admonendi sunt qui quamuis in minimis: tamen frequenter excedunt: vt nequaquam considerent qualia sed quanta committant: facta etenim sua si despiciunt timere cum pensant: debent formidare cum numeratur.

De partium morali consideratione: Rubrica 12

Paulus apostolus in epistola ad galathas capitulo 5. Modicum fermenti totam massam corrumpit.

Gaufridus in poetria capitulo 3. Pars si qua sedebat inepte. / Tota trahit series: ex illa parte pudorem. / Fel modicum totum mel amarizat vnica menda / Totalem faciem deformat.

Iacobus beneuentanus capitulo 50. Ad se sinceram pars vitiosa trahit.

De cautione securitate et periculo: Rubrica 13

Salomon in proverbiis capitulo 11. Qui cauet laqueos securus est. 25. capitulo. Sicut vrbs patens et absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. 28. capitulo. Qui ambulat simpliciter: saluus erit. Idem in ecclesiastice capitulo 10. Qui dissipat sepem mordebit eum coluber.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 7. scilicet de cleobolo. Cleobolus vnum de septem sapientibus dicebat cauendum quidem esse amicorum responsiones inimicorum insidias. 8. capitulo scilicet de periandro. Periander corinthius vnum de septem sapientibus ait: debentes securos tyrannos fieri beniuolentiam fulciri: non armis. 9. capitulo scilicet de anacharfi. Anacharsis scyta spissitudine nauis tantum inquit a morte nauigantes distare.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. ad fine. Maxime viuere tenta tutius.

Aristoteles iconomicorum libro i. Oportet **nunquam** in custoditam domum esse: sic et ciuitatem. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 7. Periculum est terribilis appropinquato.

Commented [CN25]: [n.p. 6ra]

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 3. Qui amat periculum: in illo peribit. 8. capitulo. Cum audace non eas in via: ne forte grauet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit: et simul cum stultitia illius peries. Cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante eum sanguis: et vbi non est adiutorium elidet te. Capitulo 11. Non omnem hominem inducas in domum tuam multe enim sunt insidie dolosi.

Terentius in eunacho capitulo 17. Quod cauere possis stultum admittere est. Malo ego nos prospicere quam hunc vlcisci accepta iniuria. In heautontumerumon capitulo 8. Periculum ex aliis facere tibi ex vsu fiet. Periculum ex aliis facito tibi: quod ex vsu fiet astutus. capitulo 7. Non fit sine periculo facinus magnum et memorabile. In adelphis capitulo 5. Potius quam venias in periculum sanio. Serues ne an perdas totum: diuiduum face.

Ouidius in epistolis libro i. epistola i. Hic murus eneus extat. Nil conscire sibi: nulla pallescere culpa.

Tullius philippicorum libro i. Metui et ob id odio esse inuidiosum est detestabile imbecillum caducum. Libro 2. Charitate et beniuolentia ciuium septum oportet esse non armis.

Ouidius de tristibus libro 4. epistola 6. Quod licet hoc tutum est.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 5. Quantum possumus euitemus incommoda queque: non tantum pericula: et in totum nos reducamus. Libro 17. epistola 2. Tuta sclera esse non possunt. Proprium est nocentium trepidare. Libro 18. epistola 15. Nemo potest terribilis esse

secure. Securitas magna portio est nihil inique facere. Idem de ira libro 2. Periculosus est timeri quam despici. Necesse est vt multos timeat quem multi timent. Idem de clementia: Illius magnitudo stabilis fundata que est quem omnes tam supra se quam pro se sciunt: cuius curam excubare pro salute singulorum atque vniuersorum quotidianie experiuntur. Clementia non tantum honestiores sed tutiores prestat: ornamentum enim imperatorum est et certa salus. O miserabilem illum qui cedibus ac rapinis potentiam exercuit qui suspecta sibi cuncta reddit tam extranea quam domestica: qui vbi circumspexit que fecit queque facturus est sepe mortem timet: sepius optat. Errat si quis estimat tutum ibi esse regem vbi nihil a rege tutum est. Securitas securitate mutua paciscenda est. Non est opus struere in altum artes nec multiplicibus se muris turribusque separe: saluum regem clementia in aperto prestabit: vnum est inexpugnabile munimentum amor ciuium. Quid pulchrius est quam viuere cunctis optantibus? Quis huic audeat struere aliquod periculum sub quo opulenta ciuitas copia omnium bonorum abundat. Idem tragediarum in hercule furente capitulo 2. Nouit paucos Secura quies. Capitulo 3. Quem sepe transit casus aliquando inuenit. Idem in prouerbiis. Citius venit periculum cum contemnitur.

Commented [CN26]: [n.p. 6rb]

Frontinus libro 2. titulo 11. Alexander deuicta perdomitaque tracia petens asiam veritus ne post ipsius discessum sumerent arma: reges eorum prefectosque: et omnes quibus videbatur inesse cura detracte libertatis secum velut honoris causa traxit. Ignobilibus autem relictis plebeios prefecit. Consecutus vti principes beneficiis eius obstricti nihil nouare vellent: plebs vero ne posset quidem spoliata principibus.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Concio prouisa formido videtur. Capitulo 3. Non est securus supra titubantia fultus. / Multiplici gyro miluuus circumuolat escam: / Infectum metuens tristibus aucupiis. / Ferule tu nulla ratione per omnia curris. / Te nudum exponens omnibus insidiis.

Uegecius de re militari libro 3. titulo 22. Amplior securitas solet grauius discriminem habere. 25. titulo. Pro felicitate superbius et incautius mentes efferuntur humane.

Iuuenalis libro 2. satira vnica: Siquis custodiet ipsos Custodes: casta est: et ab ipsis incipit vxor. Libro 4. satira i. Cantabit vacuus coram latrone viator.

Commented [CN27]: [n.p. 6va]

Lex institutionum titulo de obligatione que ex delicto nascitur § furti. Expedit potius pignori incumbere quam in personam agere. Titulo de interdictis § restituende. Longe commodius est possidere quam petere.

Ualerius maximus libro 4. titulo. i. in fine. Si demum tuta est potentia que viribus suis modum imponit.

Cecilius firmianus de beata vita libro 4. Cautio a metu oritur.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 4. Qui vult alium in precipites casus mittere: eum certum est fideliter non monere. Libro 3. epistola 24. Res parua non vos ducat ad extrema discrimina. 49. epistola. Prudentie est cauere etiam que non putantur emergere. Libro 11. et penultimo epistola 41. et finali. Ocum tibi clemens actus inducit.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 17. Timor cautum facit hominem atque sollicitum.

Uersificator fabularum esopi 27. fabula. Omnes vincit opes securam ducem vitam. Fabula 53.
Tutorem retinere suum tutissima res est. / Nam si tutor abiit hostis obesse potest. Fabula 54.
Unde perire queas hostem munire cauto. / Qui dat quo pereat qui viuat hoste perit.

Baldo 4. fabula. Nec ope lorice nec egebit accumine sice. / More nec hostili: cuiusque iuuamine
pili. / Solo virtutum quem constat robore tutum.

Gualterius de castellione libro i. Non murus non arma: ducem tutantur auarum. Libro 7. Tuitior vt
maneas hostis nil est quod inhoneste / Despicias tute: fit quem neglexeris ille: / Fortior hoc ipso
multoque. valentior hostis.

Iacobus beneuentanus capitulo 34. Fallere non potuerit te via nate vetus. Capitulo 37. Ignorata
via ferre pericula solet. Capitulo 38. Ignorata vada tibi pertransire cauento. / Nata profunda: licet
ne videantur ea.

Montenarius in luna cleri capitulo 8. Cautius est quando grauiora timentur agendum.

Prouerbia vulgaria. An delepelle de volpe **[vene]** almercha. / Chi ben se guarda saluo seude. / El
pegno conserua lamigo. / No lassar la via vere per la noua. / Ogno can leca lamola: tristo quel
che sege troua. / Ulolpe non entra entana noua.

Commented [CN28]: [n.p. 6vb]

De certitudine et incertitudine: Rubrica 14

Salomon in ecclesiastice capitulo 3. Omnia in futuro seruantur incerta.

Salustius in iugurtino. Non debent certa pro incertis mutari.

Paladius capitulo 7. Rerum sine culpa melior vsus est quam cum spe corrigendi serus euentus.

Maximianus. Nonne placet melius certis considere rebus. / Euentus varios: res noua semper
habet.

Cato capitulo 2. Rem tibi promissam certam promittere noli. / Ignotum tibimet noli proponere
notis. / Cognita iudicio constat incognita casu.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 11. Quod precipiti via certum deserit ordinem: letos non
habet exitus.

Uersificator fabularum esopi 27. fabula. Non igitur debent pro vanis certa relinquere.

Baldo 9. fabula. Nec que sunt extra faciant vos linquere vestra.